

curauit ipsam suo dominio subiugare. & hoc propter uie longitudinem & dubium nauigandi. Et ab insula ista mercatores. çaintum & mançi extraxerunt multum thesaurum & continuo extrahunt. Et maior pars specierum que per mundum feruntur ab ista ducuntur insula. /

/de insulis sondur. & condur

Et quando ab ista insula çaua disceditur. nauigatur inter meridiem & gherbin miliaribus septingentis/ & tunc due inueniuntur insule una quarum est maior altera uero minor una nominatur sondur reliqua condur que jnsule inhabitate sunt quare dimitatur de ipsis. Et cum ab ipsis insulis discedendo est per syrocum per circa quingenta miliaria nauigatum inuenitur quedam prouincia que est de tera firma multum diues & magna nomine lothac cuius gentes adorant ydola. loquelam habent per se. a proprio rege reguntur. & nemini redunt tributum quoniam in tali loco sunt quod nullus potest ad ipsos accedere pro dampno aliquo inferendo. quia si illuc posset adiri. magnus can cito suo dominio ipsam prouinciam subiugaret. In ista prouincia nascitur berci domesticum in multa quantitate Aurum quidem in abundantia tanta habent quod nemo crederet quin uideret habent elephantes uenationes & aucupationes multas. & ab isto regno portantur omnes porcellane que per alia regna feruntur alia non sunt ibi dice[n]da nisi solum. quod locus est siluester & pauci homines illuc accedunt. Et etiam quia rex non ^{61v°} consentit quod illuc aliquis accedat qui eius thesaurum & conditiones cognoscat :/

/De Jnsula pentan.

Cum vero discedendo a lothac itum est quingentis miliaribus per meridiem. inuenitur quedam insula. nomine pentan que est multum in loco siluestri.

Et omnes luci insule illius arbores odoriferas producunt. nunc uero hinc discedendo itur per istas duas insulas per miliaria sexaginta in quibus non inuenitur in pluribus locis aqua nisi per iiii passus est alta. Et propter hoc expedit quod illac nauigantes altius leuent amplustre. nam de aqua circa quatuor passus trahunt. Et cum nauigatum est istis miliaribus sexaginta uersus syrocum itur ulterius circa miliaria triginta & tunc inuenitur quedam insula que est regnum & nominatur ciuitas malauir & Jnsula pentan cuius gentes regem habent & loquelam per se. ciuitas quidem nobilis & magna ualde. In ea fiunt multa mercimonia omnium specierum. nam in abundantia ibi sunt. Alia non sunt ibi dicenda & ideo ulterius procedentes de parua tractabimus çaua :/

/De Jnsula çaua minori :/

Quando uero discedendo ab insula pentan est per syrocum per circa centum miliaria nauigatum inuenitur Jnsula çaua minor. set tamen non ita parua est quod circumcirca bene per duo milia miliarium non giret. Et ^{62r°} de hac insula totam narabimus ueritatem. noueritis itaque quod in ea octo sunt

adorant ydola

ciuitas malauir

in ista insula sunt octo
regna & oct[o] reges